

Ius persequi superfluum est, sensum & cogitationem in brutis demonstrant, nec mechanice fieri possunt. Hæc altera propositio; *Animæ brutorum cum corpore pereunt*, ab omnibus, si paucos metempscosis aut harmoniæ præstabilitæ patronos excipias, admittitur. Et quidem si anima bruti est spiritualis & immortalis, quid agitur de innumeris illis tot animaculorum animabus immortalibus? An de corpore in corpora transmigrant? An entia in Mundo inutilia fiunt post corporis interitum? Præterea quemadmodum crudelis merito dicitur homo, qui hominem occidit, cujus anima est immortalis, ita non sine crudelitate summa perirent tot animalia, quorum animæ immortales essent.

Respondent Cartesiani negando bruta animalia cogitare aut proprie sentire, aus ullam illis esse animam a corpore distingitam, multisque rationibus probare nituntur Deum potuisse facere corpus bruti quale est, ita ut sine ulla anima & per solum corporis mechanismum omnes quas in brutis miramur actiones obiret. Totam, quamdam possunt, suæ hypothesi probabilitatem conciliant Cartesiani his aliisque similibus exemplis & rationibus. Ea est hominum industria ut machinas brutis animalibus sere similes fingere potuerint. Fertur Iohannes Regiomontanus aquilam lineam secessisse, quæ in aera sepe recipiens Imperatori Norimbergam tendenti viam demonstravit; muscam quoque volatilē fixissimam dicitur. Notissima sunt omnibus, quæ narrantur de scilicet capite Alberti Magni, quod